



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Feria 3. De impassibilitate Corporis Christi D. & animæ nostræ simul cum  
eo resurgentis. In patientia impassibilitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

omni luxu, ebrietate, lasciviam, demus operam sobria remissioni ac sancte sinceritati, ut quidquid modo, corporali abstinentia non acquirimus, mensium puritate queramus.

Totus est in eo Apostolus: ut sicut Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, ita & nos immortalitatem ejus participantes, conemur eam omni modo conservare, conservantes nos diligentissime in morte vitæ sensualis, à qua est omne peccatum. Audi enim ut apertissime ad rem nostram! sed ita audi, ut rem attingas: Quod enim mortuum est peccato, inquit, mortuum est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis ejus, sed neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tamquam EX MORTUIS VIVENTES, & membra vestra, arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non

dominabitur; Et post pauca: Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem: Quali dicat, ut ait Origenes, Currebant prius pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserandum. Et uniuscujusque membri ministerium quod exhibuit vitis, aperit virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctitatemque convertat.

Ad Evangelium Petri, de duobus Peregrinis euntibus in Castellum Emmaus, Luc. 24.

Tota de his est hebdomada secunda post Octavam Paschæ.

## FERIA TERTIA. DE IMPASSIBILITATE CORPORIS Christi Domini, Et anima nostra, simul cum eo resurgentis.

*Seminatur in Corruptione, surget in Incorruptione, 1. Cor. 15.*

### VERITAS PRACTICA.

#### In patientia Impassibilitas.

*Sensus & Ratio est, quia impassibilis anima resurgentis, est ejus incorruptio.*

*Sed anima incorruptio est in patientia.*

*Ergo & in patientia impassibilitas, quæ quantitas est pretii, tam pretiosa debet esse patientia.*

### I. P U N C T U M.

**A**D immortalitatem corporis gloriosi hoc addit IMPASSIBILITAS, ut non tantum à morte corpus sit liberum, sed etiam à vulnere, à morbo, & ab omni profus invalerudinis specie, adeo ut perpetuo, constantique utatur valerudinis commodo. Tale

igitur erat corpus gloriosissimum Christi Domini resurgentis, qui proinde in Psalmo dicebat: Ego dormivi & suspiratus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me; non timebo militia populi circumdantis me. Vocat mortem suam, somnum, inquit Bellarminus; quia tam facile illi erat, resurgere à mortuis, quam aliis evigilare à somno. Quod dicit verò se resurrexisse, quia Dominus suscepit ipsum, perinde est ac si diceret, non id humano fretum auxilio effecisse, sed inmixum potentia infinita divinitatis, qua & ipsum corpus suscitatum, illæsum deinceps reddet, ab omni profus offensione. Sicut enim in sanctissimo Sacramento, licet in mille partes rumpatur hostia, nulla unquam tamen fiet corporis læsio; sic profus in corpore resuscitato ad gloriam. O quam jure debebatur tali corpori, quod extrema

omnia.

omnia perpeffum fuerat, talis impassibilitas, ut jam nullo modo pati posset!

x. Ioan. 3.  
1. Cor. 15.

Sic nos aliquando resurgemus, sic similes erimus. Vnusquisque in ordine suo; & quando illa lucefceret dies? Interea vero nunc quandoquidem, animā, cum illo resurgimus, hanc etiam impassibilitatem, quodammodo participamus. Sed mirum quod in patientia sit illa impassibilitas. Ita tamen omnino est, & hac ratione demonstratur.

Impassibilitas animæ resurgentis est ejus incorruptio, quæ duo denotat valde consideranda, ut discernatur à falsa & simulata Stoicorum apathia seu corporis insensibilitate & animi luctantis in adversis. Primum est negativum, non quo anima nihil sentiat, aut quo non tristetur vel lateatur: sed quo in omnibus sive prosperis sive adversis, sic se cum Dei gratia contineat, ut nullo pravo corrumpatur affectu. Non est pondus caræ virtutis, inquit sanctus Gregorius, insensibilitas cordis, quia & valde in sana per stuporem membra sunt, quæ & incisa sentire dolorem nequaquam possunt. Sic sanctus Augustinus explicans illud, quod de Christo Domino dicitur, turbavit seipsum: PEREANT, inquit, argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Turbetur planè animus Christianus non miseria, sed misericordia: timeat, ne sibi porcat & Christo: contristetur peregrinari se à Christo: concupiscat regnare cum Christo: lateatur dum sperat se regnaturum esse cum Christo. Addi vero debet, quod licet etiam turbaretur miseria aut aliquo motu humano & naturali, tendente in objectum non ita honestum & licitum, quale est illud quod commemoratum est, non propterea corrumpetur animus si non consentiret & obediret illi motui. Nunc quamdiu, inquit idem sanctus Augustinus, concupiscit caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; sat est nobis non consentire malis quæ sentimus in nobis.

x. Mor. 16.

Ioan. 11.  
Tract. 60.  
in Ioan.

L. de Con-  
tin. c. 17

Es. 43.  
Sap. 6.

Aliud autem positivum, quo incorruptio quæ nostram impassibilitatem facit, à profanis distinguitur, in bono fide & erecta in Deum intentione positum est. Satis erat Stoico se continere, ut sibi vel mundo placeret in illa sua continentia, & factum unum alio calcabat, ut Diogeni Plato exprobravit, facta. At Christianus nec sibi nec mundo vivit aut moritur, sed suo Christo; Propter te, inquit, mortificamur tota die. Hæc est incor-

ruptio quæ facit esse proximum Deo. Hæc est incorruptio quieti & modesti spiritus, qui est ante conspectum Dei locuples. Hoc est aurum ignitum, probatum, quod suaderis emere, ut locuples fias. Nonne te fines persuaderi?

1. Pet. 3.  
Apo. 3.

## II. PUNCTUM.

Sed hæc anima incorruptio est in Patientia.

Primo quidem quantum ad illud negativum, quo anima non consentit pravis suis motibus, totum hoc Patientiæ tam certo referri potest quam certum est, quod habet Tertullianus de impatientia, cui omne peccatum esse adscribendum sic docet; Malum, impatientia est boni; nemo impudicus non impatiens pudicitia, & improbus probitas, & impius pietas, & inquietus quietis. Sic prorsus ad patientiam refert sanctus Cyprianus, quod omnes illi vitiosi motus, quibus anima potest corrumpi, reprimantur; Ipsa est, inquit, quæ iram temperat, quæ linguam frangat, quæ libidinis impetum frangit, timoris violentiam comprimit, incendium simularum extinguit, & quæ plura prosequitur, quæ uno verbo expressit Dominus, dicens: Inpatientia vestra possidebitis animas vestras. O dives & tuta possessio.

Lib. de pac.

Lib. de bi-  
no pac.

Luc. 24.

Deinde verò quoad aliud positivum, incorruptioni Christianæ proprium, ut divina spectet non humana, ut æternis moveatur non temporalibus; quis nescit eò tendere tam recta & directè Patientiam de qua hic agitur, quam ipse Deus se unum querit & spectat? Nam præter naturalem & acquisitam patientiam, alia est supernaturalis infusa, quæ dos quædam est animæ resurgentis, donum & compensatio fidelitatis, quam suis contra se certaminibus exhibuit; unde illud Christi Domini: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, Id est, tam firmum & constantem, ut nulla vi adversa corrumpatur, tam erectum & sublimem, ut uni deo serviat. Hæc est Charitas patiens, hæc patientia dilectrix Dei & proximi, quæ tam divina est, ut & Dei dicatur, & Deus illius esse: Deus, inquit, patientia & solatio, dei volis id ipsum sapere in alterutrum. Et rursum; Dominus autem dirigat corda vestra, in charitate Dei & patientia Christi. Hæc est denique patientia, quæ opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Tunc ex illis es?

Apo. 3.

Rom. 15.  
2. Thess. 3.

1. Cor. 1.

## III. PUNCTUM.

## III. PUNCTUM.

**S**ic ergo est in patientia impassibilitas, quantum quidem impassibilitas animæ potest esse in corpore; nam & eam pati oportet necesse est, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam: sed si patienter patiat, non corrumpetur anima, licet aggravetur, & in corrupta manente anima, sit illa mentis impassibilitas, quæ tam pretiosa est, ut ab Apostolo *Theaurus* nominetur, & quanta in se suisque esset, sic luculentè describit; *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiatur; aperiuntur sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcitur, sed non perimus. Et paulò post: Vt in nullo detrimentum patiamini.*

Hoc est esse incorruptum & impassibilem, sic esse illæsum & invulnerabilem in mediis hostibus, non ut minimè patiaris, sed libenter: non ut minimè sentias mala pœnæ vel culpæ, sed ut illa patienter feras, & hæc religiosè fugias. Hæc est vera Philosophia, quæ nec insensibilem in malis reddit, neque minis sensibilem. Sic præclare S. Gregorius de constanti Jobo; *Quia, inquit, vera Philosophia regulam tenuit, contra utraque, mira se æquitatis arte servavit, ut nec quasi dolorem non sentiens flagella sperneret: nec rursum, ultra modum, dolorem sentiens, contra iudicium flagellantis insaniret. Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis surrexit, scidit vestimenta sua, & ronso capite corruens in terram, adoravit.*

*Quod vestimenta scidit, quod ronso capite in terram corruit, monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit: Quod vero additur, adoravit, apertè ostenditur, quia in dolore positus contra flagellantis iudicium non excessit. Non omnino ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret: nec rursum omnino motus est, ne nimis dolendo peccaret.*

Tu quidem satis esse velles impassibilis, nihil patiendo, nihil sentiendo: sed erras toto cælo, nam non est impassibilitas, nolle pati, sed potius velle. Nemo magis aut minus est passibilis, quàm qui magis aut minus velit pati. Sic velis pati libenter, ut patiendo non pecces, & impassibilis ac beatus existeres. Sic egregiè Salvianus; *Nulli ut opinor beatiores sunt, quàm qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, paupertate delectantur: inhonorati sunt, honorem respuunt. Itaque quicquid acciderit iis qui verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera, nulli latiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt. Nonne id ita iudicas? cur ergo non ita gaudes in alperis?*

*L. 1. de vero Iud. & Prov. Dei.*

*Ad Evangelium Feria, de Discipulis congregatis in cenaculo, quibus apparuit Christus, januis clausis, Luc. 24.*

Habetur ejus consideratio Feria 2. hebdomadæ 3. post Pascha.

Videri etiam debet Dominica prima quæ in Albis dicitur.

Ac denique Christo ingredienti domum januis clausis, opportuna esse possent, quæ proponuntur proximè sequenti Feria.

## FERIA QUARTA. DE SUBTILITATE CORPORIS Christi,

*Et animæ nostræ simul cum eo resurgentis.*

*Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, 1. Cor. 15.*

VERITAS